


MANDATUM RECTORIS.

NOS PETRUS FROMENTIN, Univerſi Studii Pariſienſis RECTOR, omnibus Univerſitatis Doctoribus, Magiſtris ac Scholaribus, SALUTEM.

JAM LUDOVICUM non modò vivere, ſed & vigêre ac reſtitutis in integrum viribus frui, novus ille qui ſubſecutus eſt rerum ab ipſo ſuſceptarum fortitèr ac felicitèr geſtarum curſus oſtendebat; eâque unâ re cum Gallis omnibus Cives Pariſini ſatis beatos ſe exiſtimabant. Deeſſe tamen videbatur ad plenam cumulatamque omni ex parte REGIÆ Civitatis lætitiam, ut eâ quæ aliis urbibus obtigerat felicitate frueretur, ac ſoſpitis incolumiſque PRINCIPIS præſentes vultus ſuis ipſa oculis recognoſceret. Ecce tacitis ejus votis occurrit ultrò REX OPTIMUS; &, dum pro ſuâ pietate id ante omnia proponit ſibi, ut redux in auguſto DEI-PARÆ VIRGINIS Templo, cujus

tutelæ ac patrocinio Reges noſtri & ſe & Regnum ſuum ſingulariter commendârunt, pro tantis quæ accepit beneficiis bonorum omnium largitori Deo præſens perſolvat gratias, illud etiam mente agitat, ut ſuum in ipſum amorem non magnificè magis quàm verè teſtatos Cives benignâ conſpectûs ſui luce recreet, ac ſplendido illo paternæ benevolentiæ pignore remuneret. Neque verò id raptim & obiter agere vult LUDOVICUS; verùm, quò diuturniorem nobis tantæ felicitatis uſuram faciat, & avidos Populorum oculos explere poſſit, juvat hunc in Urbe Regni PRINCIPE, ceu PARENTEM OPTIMUM in dulciſſimo Chariſſimæ Familiæ ſinu, multos commorari dies; quin & oblato à Prætore ac Civibus convivio excipi REX BENE POPULARIS non dedignatur. Hinc illi, qui tôta Urbe cernuntur, apparatus ſuperbi atque magnifici. Hinc triumphales tot in locis erecti Arcus. Hinc teſtæ illæ ardentes eo collectæ numero, qui vim ingentem luminis profundere, & clariſſimum mediâ in nocte diem revehere poſſit; eâ autem digeſtæ ac collocatæ elegantiâ, quæ oculos jucundiſſimè detineat. Hinc pictæ tabulæ, ſymbola, tituli, in quibus quàm variè, tam ingenioſè alludens Pietas germanos Civium ſenſus repræſentat. Hinc illa demùm, quæ in omnium oculis ac ſermonibus emicat, lætitia. Nimirùm non jam ſpe ac votis præcipit, verùm præſentem videt diem illum LUTETIA, quo nullus unquam ipſi neque pulchrior neque fortunatior illuxerit, cum PATRIÆ PARENTEM ac delicias REGEM, innumerabili Plebis partim è portis obviam effuſæ ac currum comitantis, partim Urbis vias complentis & obſidentis multitudine circumſeptum, lætiſſimas inter ignium undique collucentium flammas, inter feſtas ac milliès iterandas plaudentium voces, ſua ingredientem mœnia exceptura eſt. Jam quæcumque EGREGIUS PRINCEPS publicæ ſalutis deſi-

derio accenſus pulchra ac præclara diverſis temporibus geſſit, quæque ſingula & admirationem moverant & amorem excitârant, ea in mentem ſimul redeunt univerſa; labores, quos ſuſcepit; pericula, quæ adiit; Urbes, quas expugnavit; flumina, quæ ſuperavit; hoſtes, quos repreſſit. Jam, quas virtutes belli ſocias & adminiſtras LUDOVICUS habuit, eas ſibi illa videtur cernere Regali circùm adſtantes lateri, & Auguſto Pacifici Victoris Capiti ſuam ſingulas coronam certatis imponentes. In tanto tamque legitimo ovantis Civitatis gaudio, nefas ſit Juventutem Academicam præcipuo jure non exultare, ac MUNIFICUM PARENTEM quibus poteſt plauſibus non excipere. Itaque, ut ſuaviſſimo REGIS ſui aſpectu non ſemel frui poſſit, dies Sabbathi, Lunæ, ac Martis, 14, 16, & 17 menſis Novembris, ab omni docendi diſcendique officio immunes tranſigi volumus.

DATUM in Ædibus noſtris MAZARINÆIS, die Veneris decimâ-tertiâ menſis Novembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo-quarto.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi.